



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

213. Quid si postulatus fecit impensas aliquas de consensu postulantium, an tenebuntur postulantes eas refundere, dum à postulatione recedunt.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)



donant postulationem (quæ est non det jus ad prælaturam, parat tamen viam, & dare videtur quasi posse proximum, dignum æstimatione, adeoque si donetur, & donatio acceptetur, ea sit irrevocabilis) postulato: neque postulatus & postulantes paciscuntur ad invicem, & hi se illi obligant (unde postulatus, si consensisset, potest denuo non præsentatâ adhuc postulatione Superiori dissentire, & contrâ) sed agunt postulantes requirentes hujus consensum (qui eatenus solum requiritur, quatenus ad obtinendam gratiam necessarium est, ut postulatus postulationi non dissentiat) directè ad bonum Ecclesiæ, cujus proinde intuitu variare possunt ad bonum Ecclesiæ. Pass. loc. cit. num. 17. cui consentire videtur Engels ad b. r. num. 4.

4. Item procedere responsum, etiam si postulantes promiserint postulato se non recessuros, eò quod re adhuc integrâ, postulatio debeat esse libera, ex Bald. ad c. postulationem. de postul. num. 5. tradit Pass. num. 17. unde etiam, si electores sub hac spe fecissent postulatam ordinari, & postea tamen elegerint alium, valituram illam electionem, quia adhuc per illam postulationem nullum jus quasi postulato, ibidem tradit Pass. juxta gl. in c. Ofius. §. sed aliud. d. 61. cui favere ait Sylv. v. postulatio. num. 9. & Abb. in c. bona. 3. de postul. num. 16. In quo tamen casu variantes tenebuntur tali ordinato providere de subsidio, unde honestè vivat, si promiserint illi se non variaturos, & sub hac spe induxerunt eum, ut ordinaretur, & tamen variarunt. Pass. num. 21. citans c. pastoralis. de jurep. & gl. in c. Ofius. d. 61. quamvis addat Pass. unâ cum electoribus illis variantibus teneri quoque Episcopum ad illi providendum, quippe qui illum ordinavit sine titulo; secus verò esse, seu teneri ad hoc solum Episcopum, dum electores non fuerint illius ordinationis causa, ubi nimirum ipse postulatus spe admissionis, postulationis fecit se ordinari, quippe sciens postulantes posse recedere à postulatione.

5. Limitanda nihilominus etiam responsum, ut in hoc casu necdum præsentatâ postulatione in foro conscientie sine justa causa recedere à postulatione nequeant Electores (etsi id faciant validè) eò quod quidquid fit sine rationabili causa, peccatum sit, & insuper facile contingere possit, ut variatio talis facta sine causa justa sit in præjudicium honoris & reputationis postulati; in quo casu variantes tenentur postulato de injuria, quam ei inferunt. Pass. loc. cit. num. 19. citans gl. in c. bona. 3. de postul. v. in tanta. Bald. in c. publicatio. de elect. num. 5. præterquam, ut idem ex Barbof. ad cit. c. publicatio. num. 4. & juxta Rotam dec. 33. num. 18. de preb. in antiqu. puerile sit, hodie concedere, & cras poenitere.

6. Respondeo secundò: postquam tamen postulatio præsentatâ Superiori est, variare nequeunt postulantes, sed expectare debent judicium illius. Laym. ad c. bona. 4. de elect. num. 6. Lott. l. 3. q. 17. num. 224. ex Archid. Pass. cit. c. 24. num. 18. Barbof. juris Eccles. l. 1. c. 19. num. 13. & 14. Pirh. cit. num. 20. & 21. juxta expressum textum cit. c. bona. §. non obstat. Idque tam ob reverentiam Superioris (pro ut constat eo, quòd Papa cit. c. bone. dicat: si possent recedere postulantes, nobis frequenter illuderent, & judicium nostrum ab eorum pendere arbitrio videretur) quam quia res tunc amplius integra non est, sed intravit jus Superioris ei jam quasi admittendi, si velit postulatam. Pass. loc. cit. possunt tamen & in hoc casu mutare, seu resilire Superiore illo consentiente; eò quòd tunc neque Superiori inrogerur irreveren-

tia nec etiam injuria, uti nec postulato, utpote cui nullum adhuc quasi jus per præsentationem postulationis factam Superiori, Pass. cit. num. 18. citans Abb. in cit. c. bona. num. 12. & 23. Sylv. v. postulatio. num. 8. Pirh. l. cit. num. 22. Argumento cit. c. bona, in quo præsentata erat Papæ postulatio, & tamen is dedit potestatem ab ea recedendi sub certa conditione, si differrent de jure suo.

*Questio 213. Quid si postulatus fecit impensas aliquas de consensu postulantium, an tenebuntur postulantes eas refundere, dum à postulatione recedunt?*

**R**espond. affirmative. Pass. cit. c. 24. num. 20. cui consentit Engels loc. cit. contra Abb. in c. bona. 3. num. 16. & c. bona. 4. num. 13. de postul. Sylv. v. postulatio. num. 9. hoc nixos fundamento, quòd, cum postulatus nullum jus haberet ad postulationem, neque vi illius ad Prælaturam, ambitiosus fuit, si propterea expensas fecit: verum contrariam rationem opponit Pass. nempe quòd postulatus neque notari debeat ambitionis, si procuret admitti postulationem; cum ipse se hac ratione non intrudat in illo negotio, sed vocatus à Capitulo, adeoque etiam præsumptivè à DEO; neque etiam, etsi in hoc fuisset ambitiosus, per hoc amiserit jus ad pecuniam, quam expendit pro negotio, quòd erat negotium etiam postulantium, de quorum consensu fecit expensas; quique variando fuerunt causa, quòd postulatus inutiliter expendit, & sic variando intulerunt ei præjudicium expensarum; at non licet mutare in præjudicium alterius, juxta reg. mutare. de reg. juris. in 6. adeoque tenentur ad restitutionem illarum expensarum.

*Questio 214. An, & qualiter postulatio jam facta sit publicanda?*

**R**espondeo: necessaria est aliqua publicatio, per quam etiam populo innotescat postulatio, ut pro suo interesse agere possit apud Superiorem, & contra postulatam excipere, si judicetur non idoneus Ecclesiæ. Pass. de elect. c. 24. num. 22. contra Sylv. quatenus is vult, postulationem debere publicari Capitulo, non tamen populo; quantumvis tolerari possit consuetudo, ut ea etiam coram populo solenniter debeat publicari.

*Questio 215. An, & intra quod tempus postulantes teneantur præsentare postulationem de eo factam, & hoc explicare mentem suam circa illam?*

**R**espondeo: tenentur postulantes hanc præsentationem facere intra terminum juris, hoc est, præfixum aliàs ad præsentandam electionem electo, de quo cap. sequente. Et postulatus tenetur intra mensem suam explicare mentem, eo modo, quo potest, & ei licet, dicendo nimirum, saltem, quòd non dissentit, vel quòd dissentit. Pass. de elect. c. 24. num. 12. juxta c. quam sit. de elect. in 6. & gl. in c. cipientes. §. denique. v. consensum. de elect. in 6. Cum enim finis legis statuta in c. quam sit. fuit, ne Ecclesiæ obdiuturnam vacantiam patiantur detrimentum, lex illa ad omnem vacantiam & modum providendi Ecclesiæ vacanti se extendit, adeoque etiam sub nomine electionis, quo nomine utitur dicta constitutio, venit etiam postulatio, quæ loco electionis succedit, & cadit sub eadem constitutione. Pass. ibidem.